715 ce (RECAP) 2656 .89
32101 061341416

Einladungsschrift

zu der

Dienstag den 3. und Mittwoch den 4. April

im Fürstlichen Gymnasium

zu haltenden

öffentlichen Prüfung.

Von

Dr. Christian Lorenz Sommer,
Professor am Gymnasium.

I. De Euripidis Hecuba Comment. 1.
II. Schulnachrichten.

(RECAP)
SCT 2656 .89
171

Rudolstadt.
Gedruckt mit Fröbelschen Schriften
1838.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quae in universo poetarum scenicorum ingenio ponderando judiciorum diversitas est, idem, si de singularum ab iis compositarum fabularum artificio ac virtute quaeritur, virorum doctorum solet dissensus esse atque discrepantia. Ex quo enim illi in conquirenda undique et coacervanda variarum, quae dicuntur, lectionum farragine, in eruenda exemplorumque multitudine illustranda verborum subtilitate, in orationis forma et tanquam structura exponenda, in numerorum modorumque constituenda ratione omnem interpretis laudem ponere desierunt, et paullo accuratius, quam olim fieri solebat, ad rerum, quibus compositae essent fabulae, electionem atque nexum, ad hominum, quos poetae finxissent, mores, ad summam illam, quam tota actionis ratione, contentione, exitu repraesentare voluissent humanarum rerum imaginem et quasi ἰδέαν, animum attendere coeperunt, gravissimae inter eos de his ipsis rebus motae sunt controversiae. Itaque etiam de Hecuba Euripidis aut ad impugnandam hujus fabulae compositionem aut ad defendendam multa a viris in hoc genere praeclarissimis disputata sunt. Qui quum eam rerum quadam multitudine exuberare viderent, easque loci tantum ac temporis communione, nec vero actionis ipsius et cogitationis vinculo apte conjunctas et in unum tanquam corpus compactas esse putarent*), et quum altera ex duabus, quibus constaret fabula, actionis parte ob immanem quandam rerum hominumque atrocitatem nec metum, nec miserationem, neque alium ullum generosum sensum in spectatorum animis excitari arbitrarentur**): utroque vitio artis praecepta et tragicae Musae castitatem turpiter a poeta violari, atque fabulam istam vix nomine tragoediae dignam esse censuerunt. Istae vero criminationes quum gravissimae essent et tanto onere poetae incumberent, ut si verae essent, omnem ejus dignitatem everterent, exstiterunt alii, qui ejus virtutem a tanta judicii severitate iniquitateque vindicare aut saltem excusare conarentur***). A quorum sententia nos quoque stare non diffitemur. Sed quum illi conatus nuper aliis argumentis impugnati sint, neque res ab omni parte satis diligenter aut disquisita aut exposita esse videatur, quamquam minime ii sumus, qui „quidquid

*) *Brumoy* Théatre des Grecs ed. a Raoul-Rochette T. V. p. 316 sq. „L'auteur, en donnant ce titre à sa pièce, semble vouloir prévenir le reproche d'avoir violé l'unité d'action; mais, quoique tout y soit relatif à Hécube, il n'en est pas moins certain, qu'elle offre deux entreprises ou deux actions tragiques. — A cet égard abandonnons notre auteur à la critique. Ce défaut en a nécessairement entrainé un autre, c'est que chacune de ces actions manque de développement. etc.

Fr. *Jacobs* in Additam. ad Sulzeri Theor. artt. T. V. p. 361. „Bei dieser üppigen Anhäufung des tragischen Stoffes ging die schöne Einheit verloren, welche der Triumph der Kunst ist. An die Stelle der dramatischen Anordnung setzte Euripides die historische oder epische, indem er die einzelnen Ereignisse oft nur durch die Person, welche sie treffen, mit einander verbindet, oft aber auch sogar dieses Band verwirft, und keinen andern Zusammenhang, als die zufällige Einheit des Ortes und der Zeit unter ihnen herrschen lässt. In der Hekuba ist zwischen dem Opfer der Polyxena und der Bestrafung des treulosen Polymnestor schlechterdings kein innerer Zusammenhang etc. Cf. A. G. *Schlegelii* Vorless. über dramat. K. u. Litt. Th. 1. p. 262. G. *Hermann.* Praef. ed. 2. huj. fabulae p. XV. sqq.

**) *Hermann.* l. c. p. XVII.

***) *Pflugk* in Prooem. ed. suae. *Hutterus* quae de actionis unitate disputaverit programmate Monachi a. 1836. edito, eorum mihi notitiam parare nondum contigit.

FEB 11 1902 157285

aliquis homo Graecus aut Romanus scripsit, caeca admiratione prosequamur, quamque docte, pulchre, eximie scriptum sit clamitemus*)," denuo rem in disceptationem vocare, ac quantumcunque possimus, poetam a tantis, quae ei injecta sunt, criminibus liberare conabimur. Ita enim speramus fore, ut neque hac scribendi opportunitate et officio temere abutamur, et discipulis nostris, quibus hanc fabulam nuper interpretati sumus, memoriam ejus haud ingratam resuscitemus.

Hac igitur a nobis suscepta provincia ita constituimus, si deo placet, perfungi, ut 1) de *argumento fabulae*, sive de ejus inventione; 2) de ejus *tractatione* universa, eaque, quam inventis hoc modo et ad finem perductis rebus exprimere poeta voluerit cogitatione, 3) de *singularum* quas in scenam induxit *personarum* ingeniis, moribus, dignitate disseramus. Quarum tamen rerum copia atque amplitudo quum hujus scriptionis angustias longe excedere videatur, nunc non nisi primam totius commentationis partem edere licet. Hoc igitur qualecunque studiorum nostrorum monumentum lectorum gratiae et benevolentiae commendatum esse volumus.

I.
De argumento Hecubae.

Troja deleta et tota Priami stirpe una cum ipso rege sene exstincta, aut cum Hecuba regina [1]) in Graecorum servitutem dejecta, Graeci, praedam et captivos secum ducentes [2]), Troica littora reliquerunt, et ut redirent in patriam, navibus iter ingressi sunt. Qui in adversam Chersonesi Thraciae oram appulsi [3]), quo minus in itinere pergant, ventorum iniquitate prohibentur, ibique per triduum in castris morari coguntur [4]). Etenim Achillis bello caesi animus, relicta inferorum sede, supra tumulum apparuerat [5]), atque ut sibi una captivarum mulierum praemio daretur, poposcerat [6]). Cui viri olim fortitudine ac rebus gestis excellentissimi voluntati ut satis fieret, Polyxenam, Priami et Hecubae filiam, viri Manibus in ipso ejus tumulo immolandam esse censuerunt. Itaque Ulixes, cui ob insignem, qua pollet, ingenii calliditatem, consilii prudentiam, dicendi facultatem ejusmodi omnia officia mandantur, ad Hecubam mittitur, qui ei persuadeat, ut Polyxenam sibi tradat, nec quamvis dirae necessitati temere repugnet [7]). Immolata Polyxena, Hecuba, cui ut ipsa filiae funus adornaret, ab Agamemnone concessum erat, famulam ad mare mittit aquam, qua caesae virginis corpus abluatur, petituram. Haec in littore corpus pueri fluctibus in terram ejectum reperit et ad dominam perfert. Detractis quibus velatum erat corpus vestibus Hecuba Polydorum [8]), natu minimum suorum filiorum, agnoscit, quem Priamus orto bello cum magna vi auri Polymestori, Thraciae regi, suoque hospiti [9]), servandum tradiderat. Iste homo saevissimus post miserrimum belli exitum, turpissima avaritia instigatus, ut opibus

---

*) Horum enim hominum (*μανικούς* recte dixeris Apollodori instar Platonici in Conviv. init.) ardorem hujus aevi gravitate (quae utinam ne nimia judicii subtilitate ac libidine interdum gestiret ac frigeret) indignum esse jure dixit Hermann., Vir Illustr., l. c. p. XI.

Digitized by Google

potiretur, puerum fidei suae mandatum trucidaverat ejusque corpus inhumatum immani crudelitate in mare projecerat, ubi triduo undarum fluctibus jactabatur[10]. Tanta perfidia ex summo, in quo demersus erat animus, dolore excussa et ad vehementissimam ulciscendi cupiditatem inflammata Hecuba atrocissimas ab improbissimo homine poenas sumere constituit. Secretas ac victorum libidini clam subductas opes se ei indicaturam esse simulans, avarum hominem una cum liberis in Graecorum castra arcessit[11]. Sceleris commissi conscientiam auri vincit fames. Adest cum liberis perfidus rex, satellitum manu stipatus, quibus callide remotis, et sedato ipsius metu, Hecuba eum in tentorium inducit, ubi statim post a Trojanis mulieribus liberi ante ora patris trucidantur, ipsius autem oculi fibulis effodiuntur. Qui postquam frustra Argivorum regem imploravit, ut istam crudelitatem ulcisceretur, ira efferatus furorem vaticinio effundit dicens, futurum esse, ut Hecuba in ipso patriae terrae conspectu in canem turpissime mutata et saltu de summa nave in mare dejecta pereat[12], Agamemno autem in patriam reversus una cum Casandra Clytaemnestrae, conjugis suae, insidiis manuque interficiatur. Hac indignatus hominis insolentia Agamemno in desertam aliquam insulam eum protrudi[13], ac quum ventos jam spirare secundos videat, votis pro felici navigatione susceptis, iter parari jubet[14].

---

1) Cissei filiam Euripides Hecubam dicit v. 3., in ea re discrepans ab Homero, qui Asium, Hecubae fratrem, Dymantis filium esse perhibet Iliad. XVI, 717. sq. Illam famam, qua Cissei filia Hecuba esse ferebatur, latius patuisse, testis est Eustathius, qui ad Iliad. l. c. praeter Euripidem etiam Athenionem et Teleclidem ejus auctores fuisse narrat, diversitatem tamen istam tolli posse judicans, si Asius Hecubae frater ex matre fuisse credatur. Contra apud Homerum Iliad. XI, 223. Cissei filia Theano est Antenoris uxor, si modo Κισσῆς, quae nominis forma nunc ibi legitur, idem est ac Κισσεύς, de quo veteres dubitarunt. Vid. Eust. ad Iliad. p. 840, 31. p. 643, 28. cf. Spitzner ad Il. XI, l. c. Euripidem sequitur Virgilius Aeneid. X, 705. (cf. Heyne ad V, 537. ad Apollod. p. 759.) et alii poetae latini. Vid. Hygin. fab. 91. ibique Muncker. et fab. 111. Sangarii fluminis et Metopae filiam qui dicebant Hecubam esse (Serv. ad Aen. VII, 320. Apollod. III, 12, 5.), ii cum Homero eam in Phrygia, non in Thracia natam voluerunt, quo spectabat quoque, quod Otreus et Mygdon, Phrygum duces Il. III, 186. Hecubae fratres esse credebantur. Cf. Schol. et Heyn. ad l. c.

2) Statim post Trojam captam Graecorum duces captivas mulieres inter se distribuisse, ac sortitione facta Ulixi Hecubam obvenisse, vulgaris fama erat, quam ipse sequitur Euripides Troad. 278. 423. ed. Matth. cf. Ovid. Metam. XIII, 510. sqq. Dictys Cret. V, 13. Aliter ille rem instituit in hac fabula, in qua Hecubam non unius regis servam, sed totius captivam exercitus cogitari voluit. Ac profecto si Ulixis ea fuisset, longe alia inter hanc atque illum intercessisset conditio, ac datae illi in hac fabula partes concedebant. Itaque quod v. 54. (Pflugkii numeros in hac fabula sequimur) Hecuba ex Agamemnonis tentorio procedit, aut quod ipsa

Digitized by Google

se v. 809. Agamemnonis servam dicit, non hujus eam propriam, sed Agamemnonem summum universi exercitus ducem cogitari putandum est, quod bene intellexit Brumoy T. V. p. 301. sq. Quare v. 1016. ne Agamemnonis quidem se tentorium habitare, sed separata quaedam captivarum mulierum tentoria esse Hecuba narrat: *ἴδιαι γυναικῶν αἰχμαλωτίδων στέγαι.* Eandem et Hecubae et summi regis conditionem significant v. 754. 755. ubi Agamemno illam genua sua amplexam, quid ista supplicatione velit? num libertas ut sibi reddatur*)? interrogat. Quae si Ulixis aut alius ducis addicta fuisset servitio, ab illo, non a se petendam esse libertatem responsurus fuisset.

Eadem Polyxenae conditio est. Atque hoc quoque loco intelligi potest, quanta cum libertate tragici poetae singulas res pro cujusque fabulae ratione immutaverint. Nam in Troad. 265. statim quum ceteras captivas mulieres Graeci sortirentur, ea ut Achillis Manibus hostia caderet, decretum esse narratur. In hac fabula, priusquam Achilles sibi eam praemio posceret, nullius eam ducis servam poni, apparet ex v. 359. sqq. ubi Polyxena morti destinata hanc ipsam ob causam felicem praedicat fortunam suam, quod nulli cogatur servire domino. Hoc enim postulabat hujus fabulae conformatio. Nam si ante Achillem Polyxena alium habuisset herum, hic publico decreto suam sibi servam eripi pari jure aegre tulisset, atque apud Homerum Achillem iratum videmus Agamemnoni totique Graecorum exercitui. At ne verbo quidem eam rem commemorari, quis non miratus esset? Etenim tantam rem patienter ferre neque ullo modo contra obniti, aut ignavi fuisset aut liberalioris animi, quam antiquorum temporum atque hominum ingenio accommodatum esset. Itaque prudenti consilio in his rebus inveniendis usus est Euripides, qui si acrius de Polyxena contendi voluisset, tum vero spectatorum animos ab ea re, quae summa est in hac fabula, longius avocasset, aut actionem ultra justos terminos extendisset, atque illud vere commisisset *ἀπροςδιόνυσον*, quod reprehendunt, qui eum, dum Hecubae fortunam depingere vellet, in deploranda potius Polyxenae sorte spectatorum animos tenuisse atque duas inter se diversas actiones in hac fabula non apte conjunxisse putant. In Polyxenae rebus si cujus fabulae summa et tanquam cardo verteretur, ejus praecipuam partem faceret istiusmodi contentio.

Quaeritur de reliquarum mulierum Trojanarum sorte. Quarum primum duae constituendae sunt partes: alterae, quae Chorum eliciunt, alterae, quae Hecubae comites sunt et in patranda Polymestoris ultione sociae. Hae enim ut ab illis distinguantur, et locus, quem occupabat Chorus in theatro, et ipsius dignitas postulat, et poetae verba suadent. Nam quae v. 881. sqq. dicuntur, ea non posse de Choro intelligi in promtu est. Jam si Hecuba, quae primaria persona est,

---

*) *τί χρῆμα μαστεύουσα; μῶν ἐλεύθερον*
αἰῶνα θέσθαι; ῥᾴδιον γάρ ἐστί σοι.

Ab horum verborum sensu pariter aberraverunt Erasmus et Brumoy, qui l. c. p. 206 ea sic interpretatur: Que demandez-vous? La liberté? Elle vous est accordée; atque Pflugkius, qui quidem quam his verbis inesse putat acerbissimam irrisionem, eam generoso et benevolo Agamemnonis animo contrariam esse verissime observavit Vir Venerabilis, cujus summa in his litteris auctoritas est, Fr. Jacobsius. Recte Matthiaeus ad verba *ῥᾴδιον γάρ ἐστί σοι* supplet *τοῦτο μαστεύειν* s. *δεῖσθαι τούτου:* in promtu tibi est hoc a me petere.

Digitized by Google

non uni addicta est domino, convenit in eadem conditione esse ejus comites, unde v. 881. Agamemno eas universo nomine *Ἑλλήνων ἄγραν* appellat. cf. 1016. Earum autem mulierum, ex quibus Chorus constat, nondum definitam esse sortem, eo poeta demonstravit carmine, quod legitur vv. 444. sqq., quo illae mulieres, in cujus domini possessionem, in quam terram venturae sint, dubitantes atque ambiguae describuntur. Itaque quae dicit Chorus v. 100 sqq.

Ἑκάβη, σπουδῇ πρός σ' ἐλιάσθην
τὰς δεσποσύνους σκηνὰς προλιποῦσ',
ἵν' ἐκληρώθην καὶ προσετάχθην
δούλη κτλ.

non de singulis ac certis dominis, quibus illae mulieres sortitione obvenerint, sed de servitute in universum belli sorte imposita videntur intelligenda esse. Atque ita multo magis, quam si ex singulorum singulae dominorum arbitrio penderent, unius tanquam coetus speciem prae se ferre, ac suam Chorum servare dignitatem, perspicuum est.

3) Chersoneso Graecorum classem appulsam esse accipimus v. 33. Homerus post Trojam eversam Graecos excitata per Minervam inter Atridas discordia in plures disjunctos partes domum reversos esse tradit Odyss. III, 130. sqq. Horum Euripides nullam rationem habuit. Nam in Troadibus quoque v. 77 sqq. Minervae et Neptuni ira totam Graecorum classem apud Euboeam demum concitata tempestate perturbatura esse dicitur. Hic vero Euripidem eo magis illa sive fama sive epici poetae commento abstinere oportuit, quia Agamemnonem, Ulixem, Neoptolemum in castris adesse necesse erat, et sacra Achilli facienda praesentibus cunctis regibus totoque exercitu longe solemniora et splendidiora futura erant.

At, quaerat hoc loco aliquis, si Achillis umbra supra ipsum tumulum in Trojano littore exstructum adstitit et debitum sibi honorem poposcit, cur non Graeci statim et eo ipso loco religione perfungi maluerunt, quam in Chersonesum transvehi? Troadum quidem, in qua fabula Trojanarum mulierum et ipsius Polyxenae suprema mala exponuntur, scena Trojanum littus est. Hoc igitur si quis quaerat, respondeamus licet, ex eo esse genere rerum, in quas ut extra scenam positas poetae tragici altius inquiri noluerunt. Sed alia eaque gravior videtur causa esse. Nam si Graeci non statim Achilli dicto audientes sunt, cujus rei verisimilitudo orta inter principes contentione stabilitur, quo sanctior religio ea mora negligitur, eo justior deorum tanti viri dignitatem tuentium ira ventorum iniquitate proditur, eoque graviorem sacrorum perficiendorum urgere necessitatem putandum est.

4) Triduum Graecos in ora Thraciae morari adversis ventorum flatibus impeditos docemur vv. 33. 113. sqq. ubi Achillis Manes ob negatum sibi honorem iratos istam illis moram paravisse audimus. Quare Neoptolemus caesam patri hostiam offerens, precibus eum orat, ut sibi atque exercitui propitius sit felicemque reditum in patriam concedat v. 537. sqq. Ac religione demum rite persoluta, secundi ventorum spiritus classem in altum evocant v. 1290. Non omnia in his rebus ita explanavit Euripides, ut nullus relinquatur locus dubitationi. Legentibus

Digitized by Google

enim nobis quae v. 118. sqq. narrantur, contentio illa, in quam Graecorum de immolanda Polyxena studia exarsisse dicuntur, statim post auditam Achillis postulationem, nullo interposito aut temporis aut loci intervallo, orta esse videatur necesse est, et ita visum quoque Pflugkio Adnot. ad v. 189. Neque est, quod propterea in hac fabula non uno omnia tempore aut loco geri moleste feramus, si non agi illa in scena, sed narrari meminerimus. At causam si quaerimus, cur Graeci composito tandem per Ulixem certamine (v. 133. sqq.) non statim, priusquam castra Trojano littore moverent, debitos Achilli honores persolvere voluerint, ejus rei nullum usquam comparet indicium. Immo v. 143., ubi, postquam vicisse Ulixis eloquentiam commemoratum est, ille tantum non jam adventurus esse dicitur ad Polyxenam hinc abducendam, facile in eam adducimur opinionem, ut hunc ejus adventum et re et tempore putemus cum illa ducum contentione populique decreto cohaerere. Haec igitur tempore disjuncta esse poeta indicare debebat. Id vero, quoniam Polyxenae immolationem et ultionem Polymestoris unius fabulae vinculo volebat conjungi, facile poterat efficere, si etiam post ducum contentionem Graecos tum propter viri, qui honorandus esset, praestantiam, tum propter rei atrocitatem ambiguos omissis sacris vela in Chersonesum dedisse, ibi autem itinere prohibitos et morae taedio *) victos tandem necessitati vel Ulixis facundia vel Calchantis auctoritate expositae cessisse paucis indicasset.

5) Supra tumulum apparuisse Achillis animum, simpliciter narrat Euripides v. 37. in quo si immolata esse dicitur Polyxena v. 221. 520. 522. 524., non licet alium intelligi, nisi quo in Trojano littore exstructo viri fortissimi cineres conditos esse scimus. Nam Polyxenae caedem ante Graecorum abitum factam, eaque omnem rerum ad Trojam gestarum orbem absolutum esse vulgaris fama ferebat. Hanc igitur sequitur Eurip. Troad. 266. et ita res descripta erat in Cypriis sec. Photium in chrestomathia (vid. biblioth. antiq. litterar. et art. ab Heeren. et Tychsen. edit. T. 1.), in tabula Iliaca (cf. Car. Guil. Mueller de cyclo Graecorum epico p. 172.) in Polygnoti pictura ap. Pausan. X, 25, extr., apud Hygin. fab. 110. Dict. Cret. V, 13. al. Contra ea auctor argumenti Hecubae e cod. Havn. descripti

*) V. 35. 36. morae istius taedium poeta expressit cumulatis, ut fieri solet, verbis otium significantibus: *ναῦς ἔχοντες ἥσυχοι θάσσουσι.* Nam *ἥσυχοι* non est tranquillo animo, sed otiosi, nihilque suarum rerum proficientes, unde cum verbis morae ac desidiae saepius conjungitur. cf. Troad. 978. *οὐκ ἂν μένουσ᾽ ἂν ἥσυχός γ᾽ ἐν οὐρανῷ αὐταῖς Ἀμύκλαις σ᾽ ἤγαγεν πρὸς Ἴλιον;* cf. Elmslej. ad Heracl. 7. Herodt. VI, 135. *ὥς σφεας ἡσυχίη τῆς πολιορκίης ἔσχε.* Illa, quam frequentatam poetis diximus verborum idem significantium cumulatio quum saepe alibi qualis esset et ubi posset locum habere, non satis perspecta est ab interpretibus (ut Soph. Phil. 225. *μή μ᾽ ὄκνῳ δείσαντες ἐκπλαγῆτε·* cf. Wunder. Advers. p. 52. sq. quocum tamen de loco illo interpretando non plane consentimus), tum hujus fab. v. 900. ubi quod dicit Agamemno

νῦν δ᾽, οὐ γὰρ ἵησ᾽ οὐρίους πνοὰς θεός,
μένειν ἀνάγκη πλοῦν ὁρῶντας ἥσυχον·

in his et ipsis morae fastidium tribus verbis expressum est *μένειν, ὁρῶντας, ἥσυχον*, ex quo intelligitur non recte conjungi *πλοῦν ἥσυχον.* Neque aut cum Pflugkio *ἥσυχον* pro adverbio habendum, aut Hermanno auctore *ὁρῶντά μ᾽ ἥσυχον* scribendum est. Nam et ipsa per se non satis eleganter haec dicta essent, et superbius se efferret Agamemno, qui nunc se solum facere praedicaret, quod modo dixisset in totum cadere exercitum. Quae quum ita sint, et quum Elmsleji quoque ratio jure improbata esse videatur, non habemus nos quidem, quomodo illa verba intelligamus, nisi scribatur *ἡσύχους.*

Digitized by Google

cenotaphium Achilli in Thracio littore exstructum (*οὗ δὴ καὶ κενοτάφιον ἔχωσαν Ἀχιλλεῖ ἐν Τροίᾳ ταφέντι·* cf. Schol. ad v. 517. ed. Matth.) in eoque Polyxenam immolatam esse narrat, consentiens cum Ovidio Metam. XIII, 439—441. et pariter ac Romanus poeta in isto tumulo inani Achillis speciem conspectam esse fingens. Sed Graecos in barbara terra viro a se dilectissimo istiusmodi tumulum erexisse, quis credat, nisi eam ob causam, ut sacra in illo facerent? Facienda autem esse qui poterant scire, si exstructo demum tumulo inferias sibi ferri Achilles jussisset? Ineptum igitur illud commentum eo tantum consilio excogitatum esse videtur, ut uno omnia loco geri intelligeretur. Aliter et ita, ut par erat, rem instituit Euripides*), quum in eo, in quo vere Achillis ossa composita erant, sepulcro et conspici viri speciem et jussas inferias fieri volebat. Atque has quidem praesente toto exercitu peractas esse dicit v. 521. At enim vero, inquies, si haec rerum ratio fuit, totam Graecorum classem in Asiam reverti indeque rebus perfectis redire in Thraciam necesse erat. Hoc factum esse ubinam dicit poeta? et quis interea mulieres captivas, quae relictae erant in castris, custodivit? et quomodo haec omnia unius solis circuitu, quo unius fabulae actionem absolvi jubet summus artis magister Aristoteles, peragi, quomodo denique loci unitatem servari putabimus? Verum est, nihil horum dixisse Euripidem, nec profecto ejus erat, ut diceret. Nimirum haec omnia extra scenam sunt posita, nec partem faciunt eorum, quae in hac fabula aguntur. Nam Polyxenae immolationem et quae eam antecedunt quaeque sequuntur, aeque ac Polydori caedem, tantum modo scire nostra interest, quantum spectant ad Hecubam, cujus malis eo, quod illa facta et quod tali modo facta est, summus tanquam cumulus additur. Sufficit igitur rem narrari**). Quae autem narrantur, ea non sunt ad certum quoddam ac definitum aut loci aut temporis spatium exigenda, sed omnis concessa est cogitationi libertas. Quid enim iis certe in rebus scenicos poetas differre putabimus ab epicis, quos saepe immensam rerum multitudinem angustissimo temporis et loci spatio comprehendisse constat? Quod igitur illis facere licuit, num hos vetitos esse censebimus, modo ne ea, quae eorum propria sunt, i. e. quae aguntur in scena, justum temporis et loci modum excedant? Levis autem dubitatio est de Hecuba ceterisque captivis mulieribus, ad quas custodiendas vel pauci sufficiebant de grege milites. Non est igitur, quod poetam reprehendamus, qui totum Graecorum exercitum sacris adesse dixerit.

Aliud est, quod ipsum quoque ad loci rationem attinet, a Pflugkio commemoratum Prooem. p. 7. Putat enim vir doctissimus, quae dicentem poeta faciat Agamemnonem v. 1111 sqq.:

εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν
πύργους πεσόντας ἴσμεν Ἑλλήνων δορί,
*φόβον παρέσχ' ἂν οὐ μέσως ὅδε κτύπος****).

---

*) Errant enim, qui Euripidem istius imprudentiae participem faciunt, *Brumoy* l. c. p. 185. et E. C. Chr. *Bach* ad Ovid. l. c.

**) Cf. *Hermann*. Adnot. ad v. 33. *Pflugk*. Prooem. p. 6.

***) Exprimendo animi affectui accommodatior esse videtur plurimorum codd. et edd. antiq. lectio *παρέσχεν*, quam reposuerunt Hermann. et Guil. Dindorf. in poet. scen. Graecis.

Digitized by Google

vix potuisse apte, nisi in ipso agro Trojano et in vicinia captae urbis dici, et hoc ipsum poetam efficere voluisse, ut haec ne tangeret quidem omnino animos cogitatio, quanto illae regiones intervallo dissitae essent. At verendum est, ne parum ille tali modo excusari videatur, nisi simul aliae res illud intervallum cogitari vetent. Quamquam quae de audito Polymestoris clamore ibi recenti percussus horrore Agamemno dicit, simplicitatem aliquantum excedere concedimus, nihil tamen in iis videmus inesse, quod non apte in Thracia dici potuerit. Quid enim Agamemno? Nisi scirem, inquit, diruta esse Trojae moenia, me adhuc in castris ante Trojam esse putarem, terreretque iste strepitus, ne novi quid aut subiti molirentur hostes verentem. In his quid tandem est, quod non is, quem tanti exercitus rebus prospicere oporteret, cujusque animus recenti tumultuum bellicorum memoria affectus esset, ubique potuerit apte dicere?

6) Non congruere inter se videri, quae v. 40. et quae v. 96. dicantur, observavit Pflugk. Prooem. p. 7. Priori enim loco in prologo Polydorus claris verbis Polyxenam ab Achille pro hostia expostulatam esse enuntiat, altero autem Hecuba narrat, aliquam Trojanarum mulierum muneris loco sibi dari Achillem velle, ipsa tamen Polyxenam eam esse, tristi perterrita somnio, praesagiens v. 97. Nihil certius ostenditur v. 111. 116. nam ibi quoque hostia tantum sive munus ab Achille petitum esse traditur. Attamen Graeci et ipsi statim Polyxenam posci putaverint necesse est, siquidem continuo inter eos vehementissima de ea vel immolanda vel servanda exarsisse studia docemur v. 118. sqq. Nec mirum, quum illa virgo et propter pulchritudinem sola Pelida digna videri deberet (hac quidem causa ductos esse Graecos intelligimus e v. 267. 268.), et illi viro amata atque desponsa mortis causa exstitisset (cf. Hygin. fab. 110, qui tamen alia narrat fab. 107. Serv. ad Aeneid. III, 322. Dict. Cret. IV, 10.). Atque illa sententia ut denique vinceret, Ulixis auctoritas effecit, qui, qua est consilii firmitate ac constantia, Polyxenam praemio dandam esse certa fide pronuntiat: v. 303—305.*) 390.

Itaque non dubium est, quin ita rem cogitari poeta voluerit: Achillem aliquam captivarum mulierum muneris loco sibi offerri jussisse, Polyxenam ab eo peti Graecis, quum sponte intellexissent, Ulixem persuasisse, eamque sententiam denique publico decreto esse sancitam **). Hoc quoque ille sapienter atque considerate. Primum enim talis brevitas atque ambiguitas maxime convenit iis, quae a mortuorum umbris ad superos missis vel aliis per somnum visis spectris nuntiantur, utpote quae oraculorum quandam speciem prae se ferant. Deinde fallimur, aut Euripides in hac quoque re epicorum quendam morem poetarum sequutus est, qui quae

---

*) Hanc ob causam v. 305, quamvis *σὴν παῖδα* e solo verbo *δοῦναι*, *σφάγιον* autem ex *ἐξαιτουμένῳ* pendere possint, praestat tamen etiam illa cum hoc conjungi hoc modo: *σὴν παῖδα σφάγιον ἐξαιτουμένῳ δοῦναι.* Ita aptissime congruunt cum v. 390.

**) Ita visum quoque *Pflugkio* l. c. p. 7. et *Hermanno* Praef. p. XXVII. — Troad. 266. (*Πολυξένη*) — *τύμβῳ τέτακται προσπολεῖν Ἀχιλλέως.* Hygin. fab. 110. „ex sepulchro vox Achillis dicitur praedae partem expostulasse. Itaque Danai Polyxenam — immolaverunt.“ Dict. Cret. V, 13. „dein Polyxena, suadente Ulixe, per Neoptolemum Achilli inferias missa.“ Contra ap. Ovid. Met. XIII, 448. Achilles: Placet Achilleos, inquit, mactata Polyxena Manes. Quae Ulixi ab Euripide datae sunt partes, eas apud alios Calchantem obtinuisse apparet ex Serv. ad Aen. III, 322.

Digitized by Google

fato destinata sunt viris eximiis, quo majore animos exspectatione teneant, paullatim manifesta fieri et clariore quadam luce collustrari volunt. Denique ita dêmum certamine illo, quod audita Achillis postulatione inter Graecorum duces ortum esse dicitur, horum animos ad acerrimam studiorum contentionem inflammatos esse probabilius est, si non modo num danda esset Polyxena necne, sed etiam num haec an alia, quaereretur. Quam ob rem poeta eo loco, quo illud certamen descriptum est v. 118—142., quo minus Polyxenam nominaret, caute abstinuit.*) In prologo autem Polydorus aperto nomine Polyxenam dicere potuit non conjectando, ut opinabatur Pflugkius, sed quia futuri gnarus esset. Vid. Herm. Praef. fin.

7) Ulixem ad abducendam Polyxenam mitti non mirum est, quem virum constanti poetarum usu ad quamcunque rem efficiendam prudentia, calliditate, facundia opus est, videmus adhiberi. Atque ei ut illud officium tribueretur, eo

---

*) Thesei filios, quorum neque ab Homero ulla mentio facta est, neque apud cyclicos poetas magna in Graecorum castris videtur auctoritas fuisse, quod commemoravit in illo certamine Euripides v. 125., Atheniensium gratia fecisse videtur, utpote qui jam tum dicendi laude, justitia, publicae rei studio clarissimi essent. Hoc ut intelligeretur, eos ὄζω Ἀθηνῶν nominavit, et partim afflictae causae partim publicorum commodorum fecit patronos. Sed obscurius locutum esse poetam in toto illo carmine, recte observavit ad v. 121. Hermannus. In ipsa tamen re non prorsus nobis convenit cum Viro Illustrissimo. Sunt autem tria non satis clare a poeta indicata: de quo omnino dissenserit exercitus, et quid Agamemno contenderit, et quid suaserint Thesidae. Ac si eam quam Achilles posceret hostiam statim ab omnibus Polyxenam intellectam esse recte demonstravimus, non potuit nunc apte certari, sacrificarentne omnino aliquam an non, sed darentne eam, quam peteret, necne. In hunc igitur sensum interpretamur verba v. 120: τοῖς μὲν διδόναι τύμβῳ σφάγιον, τοῖς δ' οὐχὶ δοκοῦν, articulum ante σφάγιον quaesitae a poeta ambiguitatis causa omissum putantes. Quod quidem etiam probatur iis, quae sequuntur. Nam si de eo tantum certatum esset inter Graecos, sacrificarentne aliquam an non, ne periculum quidem ullum fuisset Polyxenae; neque erat, cur Agamemno hujus servandae gratia omni abstinendum esse sacrificio censeret. Et si hac fuisset sententia, quomodo tandem ceteri duces Polyxenam, Hecubae filiam Casandraeque sororem, ab eo defendi potuissent suspicari? Hoc autem factum esse poeta significavit tum his verbis:

ἦν δὲ τὸ μὲν σὸν σπεύδων ἀγαθὸν
τῆς μαντιπόλου βάκχης ἀνέχων
λέκτρ' Ἀγαμέμνων·

tum eo, quod Thesidae Achillis dignitatem non posthabendam esse affinitati Casandrae aperte contendunt:

τὸ δὲ Κασάνδρας
λέκτρ' οὐκ ἐφάτην τῆς Ἀχιλείας
πρόσθεν θήσειν ποτὲ λόγχης.

Itaque nisi etiam obscuriora haec verba facere volumus, quam sunt, Agamemnonem non ab omni sacrificio abhorruisse, sed Polyxenae causam defendisse statuendum est. Quid vero Thesidae? Hos, dum loquebantur, de una re inter se consensisse apparet ex imperfecto ξυνεχωρείτην. Consenserunt autem de eo, honorandum esse Achillem, nec quominus ei Polyxena daretur, Casandrae obstare affinitatem. At illi δισσῶν μύθων ῥήτορες ἦσαν. Quae verba ita nos interpretari, ut duas quidem orationes habitas, sed eandem sententiam dictam esse intelligamus, loquendi usus vetat, ex quo δισσοὶ λόγοι dicuntur orationes, quarum altera aliquid esse ait, altera negat, vel omnino inter se diversae atque oppositae. Cf. Hippol. 925. fragm. Antiop. XXIX. Valck. diatrib. p. 86. ed. Lips. Neque audiendus est Brumoy, qui p. 190. hoc vult dicere Thesidas: „qu'il falloit du sang, mais celui de Cassandre et non de Polyxène.“ Itaque alter eorum justitiam et publicae rei commoda, alter aequitatem atque indulgentiam defendebat, alter ut dandum esse viro rebus gestis praeclarissimo quod petere videretur praemium, alter ut parcendum Polyxenae et sacrificandam esse aliam diceret. Jam quum istis principum studiis nihil decerneretur, et, ut fieri solet, post multam concertationem res eo devenisse videretur, nihil ut fieret, exstitit Ulixes atque dandum esse Achilli quem peteret honorem, argumentorum pondere evicit. Ad cujus sententiam quamvis plurimi perducti essent, ne sic quidem omnis videtur dubitatio composita fuisse, si quidem Graeci non statim sacrificium peregerunt, sed iter ingressi ventorum demum iniquitate ad illud perficiendum coacti sunt. Atque non contigisse viro disertissimo, ut omnibus persuaderet, significavit poeta eo quod πείθει dixit v. 135., non ἔπεισεν.

Digitized by Google

magis rei consentaneum videri debebat, quod in sententiarum certamine immolandae virginis inprimis ille auctor exstitisset. Etsi vero Hecubae, inermi captivaeque feminae, filiam Graeci etiam vi eripere poterant, quod ipsum significat Ulixes v. **225.**, sapienter tamen poeta suos, qui necessitate quadam compulsi crudeles essent, etiam sponte saevos atque immanes fingere noluit. Ulixem autem quamquam rerum, quibus aliquid efficiendum sit, honestatem, modo consequatur id, quod velit, non nimis religiose ponderare scimus, tamen ea constat animi sententia viro prudentissimo, ut ne prius vim adhibendam esse censeat, quam frustra sint omnia, quibus pollet, consilii ac facundiae subsidia. Plane eundem ille se praebet in Philocteta Sophoclis. Itaque etiam hic illud, quod animo fovet, tritissimum Hecubae persuadere conatur: necessitati cedere utile, et patienter ferre, quae evitari nequeant, sapientis esse. Hoc est enim illud: *σοφόν τοι κἂν κακοῖς ἃ δεῖ φρονεῖν.*

8) Polydorum Hecubae filium natu minimum facit Euripides v. **13.** Homero Priami filius et Laothoae est, pedibus velocissimus, et admodum juvenis ab Achille interficitur Il. XX, **407.** sqq. XXI, **91.** XXII, **46.** sqq. Euripidem sequuntur Virg. Aen. III, **49.** sqq. Ovid. Met. XIII, **429.** sqq. Longe antem alia habet Hygin. fab. **109.** a quo Ilionae sorori, Polymestori nuptae (Serv. ad Virg. Aen. l. c. et v. **15.** Schol. ad Horat. Serm. II, **3**, **61.**), a parentibus traditus, et pro filio educatus, postea Polymestorem, cognitis hujus insidiis, qui quum Polydorum peteret, Deiphilum filium suum interfecisset, oculis privavisse atque occidisse narratur. Apud Dictyn a Polymestore Ajaci Telamonio Chersonesum infestanti merces pacis traditur, deinde a Graecis, postquam eum frustra Helenae reddendae pretium Trojanis obtulerunt, his spectantibus ante ipsa urbis moenia lapidibus necatur. Dict. Cret. II, **18**, **27.** Virgilio quo mortis genere eum periisse placuerit, notum est omnibus. — Hujus igitur in littus ejectum corpus Ovidius ab Hecuba ipsa, quum aquam petitum ad mare venisset, repertum finxit, miseramque reginam ad turpissimum servitium depressit Metam. l. c. v. **534.** sqq. Honestius et pristinae Hecubae dignitati etiam in servitute servatae, simulque movendis doloris miserationisque affectibus accommodatius est, quod excogitavit Euripides v. **658.** sqq. qui eo tempore, quum miserrima mater, audita generosa filiae morte, paullulum a doloris vehementia requievisset, atque ad tranquillitatem quandam luctus animique constantiam se composuisset, eam, apportato filii corpore a perfidissimo hospite saevissime trucidati, quamvis antea de ejus caede somnio praemonitam, vehementissime perterreri atque ad extremam rerum suarum perniciem detrudi voluit. Talis est enim humani animi natura, ut etsi mala appropinquare et tantum non instare videat, tamen praesentibus commoveatur affligaturque gravissime.

9) *Polymestor* et *Polymnestor* quod hominis nomen scribitur, prior forma sola placuisse videtur Euripidi; saltem ex hujus libris nihil diversitatis enotatum reperimus. Atque eam tum metrorum rationes, tum ipsius nominis notatio commendant, quod quidem, e *πολὺ* et *ΜΑΩ*, *μέμαα* compositum, hominem multorum appetentem, cupidum, avarum significare probabile est, sicuti Polydorus a multis donis, i. e. ab auri aliarumque rerum pretiosarum, quas cum eo Priamus servandas

Digitized by Google

hospiti tradidit, multitudine est dictus. Et quum eandem scripturam tum Ovidii tum Dictyis exemplaria exhibeant (vid. Heins. ad Ovid. Met. XIII, 430.), altera *Polymnestor* ab Hygino f. 109. iisque, quos ibi laudavit Munckerus, perpaulum auctoritatis habere videtur.

Polymestor igitur, Thraciae Chersonesi rex, Priami hospes fuit, v. 7—9. Affinitate eum cum Trojanorum rege conjunctum fuisse, quod Hyginus narravit fab. 109., non dicit usquam Euripides, neque opus erat tali commento, siquidem violata hospitii sanctitate sceleris in Polydorum commissi atrocitas satis videbatur extolli. Quare hospes ille cum acerba quadam irrisione ubique dicitur v. 7. 19. 26. 710. 774. 781. 790. sqq. 852. 1047.*), neque Hecuba in ea oratione, qua causam suam contra improbissimi hominis fraudem agit, si quod aliud inter eum

*) De loco v. 791 — 796., qui plurimum Virorum doctorum ingenia exercuit, quid sentiamus, paucis liceat exponere. Loquitur Hecuba de Polymestore:

ὃς οὔτε τοὺς γῆς νέρθεν οὔτε τοὺς ἄνω
δείσας δέδρακεν ἔργον ἀνοσιώτατον,
κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί,
ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων·
τυχὼν δ' ὅσων δεῖ καὶ λαβὼν προμηθίαν
ἔκτεινε, κτλ.

Ita verba in edd. antiquis et libris mss. leguntur, nec magni sunt momenti paucissima illa, quibus nonnullorum codd. lectio a vulgata recedit. Ac primum quidem verbositatis crimen, in quod hunc locum vocavit *Matthiaeus*, injustum est, quum id ipsum agat Hecuba, ut multis verbis multa illa munera et officia enumeret atque repetat, quibus a Priamo ejusque familia cumulatus tamen detestabile impietatis scelus commiserit. Vide quae supra diximus ad 4.*). Itaque aut additum quidquam temere esse a librariis, aut omissum, quae Matthiaei suspicio fuit, nullo modo nobis persuadere possumus, ac satis illa refutata esse videtur ab *Hermanno*. Sed videndum de verborum constructione, in qua maxime haeserunt interpretes. Quorum quid placuerit prioribus, expendere et longum est et actum ab aliis; videamus, quid judicaverint novissimi. Quum igitur maxima difficultas esse videretur in vocabulo *πρῶτα*, quod non haberet, quocum commode posset conjungi, *Pflugkius* illud e verbo *τυχὼν* pendere voluit, ut qui illud scriberet, animo cogitaret *λαβών*, quod ipsum positum est v. 795. At enim vero haec Viri Doctissimi sententia, quum post vocab. *πρῶτα* statim iterum sequatur *τυχών*, nec *λαβὼν* illud, a quo *πρῶτα* suspensum voluit, in eodem contineatur cogitationis ambitu, quam sit difficilis quamque artificiosa, nemo non intelligit, et ipse quum eam excogitaret, videtur intellexisse. *Hermannus*, quod *πρῶτα* adverbialiter accipiendum esse ait, recte statuit; quod autem particulam *δὲ* v. 795. invitis libris omnibus expunxit, id non probamus. Primum enim quae jam efficitur quaeque Matthiaeo quoque placuit epexegesis, etsi apud omnis generis scriptores frequens est, minus tamen huic loco videtur accommodata esse, in quo acerbato Hecubae animo, primum commemorato impii hospitis facinore, continuo etiam beneficiorum, quorum immemor illud commiserit, mentionem adjungere atque una ambo cogitatione comprehendere conveniat. Deinde etsi excusari potest, quod idem verbum *τυχὼν* in eodem cogitationis ambitu bis positum sit, quamquam alteram hujus cogitationis partem per anaphoram alteri oppositam potius, quam particula *τε* conjunctam exspectes, tamen eo maxime offendimur, quod, si *ὅσων δεῖ*, ut interpretatur Schol., sunt ea, *ὅσων δεῖ τυγχάνειν τοὺς φίλους τῶν φίλων*, haec eadem officia jam verbis *κοινῆς τραπέζης* et *ξενίας* significata sunt, nec verbositatis crimen poeta effugeret. Denique et repetitio verbi *τυχὼν* legitima, et oratio longe gravior et efficacior est, si verbis *τυχὼν δ' ὅσων δεῖ* nova incipit sententia iis, quae ante dicta erant cum vi quadam opposita: quamvis autem acceperit omnia, quae amicis ab amicis praestari par est etc. Quae quum ita sint, *ξενίας* necesse est cum eo, quod antecessit, verbo *τυχὼν* conjungi, *ἀριθμῷ* autem arctissime cum proximo vocabulo *πρῶτα* copulari, ut alterum alterius tanquam fulcrum quoddam habeatur, ejusque vim extollat eo sensu, quo *ἐν ἀριθμῷ εἶναι*, *ἀριθμεῖσθαι* sim. dicitur is, cujus in aliquo numero inprimis conspicua est praestantia: primo loco numeratus in amicorum circulo. Cf. Homer. Il. II, 202. *οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.* Eur. fragm. Beller. XXI. *λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι.* Restat, ut dicamus de verbis *λαβὼν προμηθίαν*, quibus adeo offensus est Hermannus, ut ea in *λαβὼν προθυμίαν* mutaret. At quamvis saepe verba *προμηθία* et *προθυμία* a librariis inter se sint permutata (vid. Valck. ad Phoen. 1475. Heind. ad Platon. Lys. p. 15. al.), minime tamen hoc loco opus est correctione, et, ut dicam quod sentio, mihi *προθυμίαν* etiam esse pejus videtur. Nam ut sit *προθυμία* idem quod *κηδεμονία*,

Digitized by Google

et caesum puerum necessitudinis vinculum fuisset, hujus mentionem facere omisisset, verum et ibi tantum hospitium commemorat v. **1216**. Graecorum exercitum ipse sibi amicum esse confitetur v. **982**. quod idem ait Agamemno v. **857**., et quum statim hujus vocem agnoscat v. **1114**., inde jam pridem ei cum Priami, hospitis sui, hostibus commercium fuisse intelligitur. Eodem spectat, quod v. **1138**. sqq. Polydorum a se interfectum simulat, ne quis Graecis hostis ac novi auctor belli succresceret*). Ita scelus avaritia simul et perfidia et fallacia luxuriari dicitur.

10) Immanem, atque avaritia perfidiaque corruptum et perditum hominis barbari animam inprimis hoc ostendit, quod trucidati a se pueri corpus ne sepelivit quidem aut humo sparsit, cujus rei, quamvis diversa sint, quae de ipsa caede narrantur, constans est apud scriptores memoria. Jure igitur Euripides ei, quippe qua et doloris stimuli et ulciscendi cupiditas in Hecubae animo mirum in modum acuantur, praecipuam quandam vim tribuit v. **782**. **796**. sq.

11) Ovidio Metam. l. c. p. **551**. sqq. Hecubam ipsam ad Polymestorem accedere inque ejus domo crudele, quo eum ulcisceretur, facinus perpetrari placuit. Apud Euripidem ut ille ad Hecubam veniret, rei scenicae ratio postulabat, et vero etiam hoc longe efficacius et dignitati Hecubae accommodatius et ad rem, quam moliebatur, peragendam veri similius erat. Nam ut vocationi pareret homo timidus atque ignavus, avaritiae, quae in eo dominabatur, imperio caecaque libidine commotus et compulsus videri debuit. Causam, cur non ultro ad Hecubam, hospitio

---

